

9229
1778, 8.
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
DE
NECESSITATE CVRATORIS
IN CONTRAHENDIS PACTIS
NVPTIALIBVS

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIET. LITER. DVISVURG.
SOCIO

DIE XVI. MAIL. MDCCCLXXXVIII

IN AVDITORIO IVRIDICO

DEFENDET

ANTONIVS GOTTFRIED RICHTER

DELITIENS.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMII

IN DER UNIVERSITÄT ZÜRICH

IN CONTRAHENTIS PARTIS

ILLUSTRIIS DOMINIS ORDINIS RECTOR

D. CHRISTIANO HERRMANNUS

IN ANNO DOMINI MDCCLXXIX

ANTONIOUS GOTTFRIED RICHTER

EX UNIVERSITATE ZÜRICH





DE
NECESSITATE CURATORIS
IN PACTIS NUPCIALIBVS
CONTRAHENDIS

§. I.

Frustra esset, si de curatoribus sexus quaestio oria-
tur, peregrinum Ius in auxilium vocare, vt
ex eo controuersia decidatur. Quamuis enim
Iustiniano iure curatorum officium incogni-
tum non sit; tamen alia fuit popularium nostrorum ratio,
quam Romanorum. Est quidem verum, vtrumque ius et
exoticum, et patrium sequiorem sexum imbecillitatis argue-
re, et aliam causam patria habere iura vel inde patet, quod
Romani

IV

Romani maritum a cura vxoris excluderent teste IUSTINIANO in §. 19. I. de Exuf. tut. Germani vero eundem legitimum vxoris curatorem haberent. Neque nostrates deseruere patrios mores, imo sancte seruant, vt et curatorum officium in causis iudicialibus plane necessarium habeant, in aliis grauioribus feminarum negotiis aequae curatorem desiderant, ita tamen, vt in quibusdam prouinciis differentia sit inter solutam atque maritatam feminam, quarum posteriores cura mariti legitima reguntur, priores vero curatore non egent in causis extraiudicialibus, quod ius et quae differentia in Saxonia non obseruatur. Imo haud raro ne maritus quidem legitimus curator sufficit in quibusdam vxoris negotiis, sed adeo datiuus adhuc adhibendus. Ceremoniae sunt, quae praeterquam, quod vsu frequententur, satius possent abrogari, maxime cum haud raro maritus curatore vxore regatur factio magis, quam iure, et datiuus curatis officium toties mutetur, quoties displicere feminae incipiat curator.

§. II.

Esi vero feminarum negotia confirmantur autoritate vel magis consensu curatoris *vel legitimi vel datiuus*, tamen non omnia earum negotia ita comparata sunt, vt curatore non consentiente peragi nequeant. Quae enim ad curam oeconomiae domesticae spectant, quae propria est feminarum, non egent curatore. His enim negotiis feminas sufficere semper arbitrati sunt maiores nostri. Accessit ex Romano iure potestas de rebus suis per vltimam voluntatem disponendi. Ex hoc enim iure recepto curator non desideratur, sed sola sufficit adhibitis peregrini iuris solennibus ac ceremoniis feminae testantis voluntas. Haec quidem in
regula

regula vera sunt, nisi recentiora interdum iura quaedam vel addiderint vel immutauerint. Sic e. c. non desunt statuta, quae vxori potestatem testandi absque mariti tanquam legitimi curatoris consensu negant.

§. III.

Vnicum saltem negotium dubium mouit eruditis: *An in pactis nuptialibus curatoris officium necessarium sit, si a femina contrahantur.* Non vrgemus horridam illam distinctionem pactorum nuptialium in *vim contractus* et *ultimae voluntatis*, quam Germaniae iuribus penitus contrariam nostri recte adfirmant hodierni eruditi, adeo contra fori analogiam, quod successoria pacta non improbat, receptam atque nonnullis legibus confirmatam. Si enim Legibus recentioribus illa distinctio, quae absque dubio natales debet ex peregrino iure male applicatio doctrinae de donatione inter vivos et mortis causa recepta, tuto concludimus: Si in reliquis vltimis voluntatibus perficiendis consensus curatorius non requiritur, necesse non est, vt curator adhibeatur in pactis nuptialibus in vim vltimae voluntatis contractis, nisi forsitan specialissima quaedam norma adsit, quae generalibus Legibus derogat. Sed hanc barbaram pactorum speciem, et quae, quod optandum, aliquando ex foro et Iurisperitorum doctrina esset eliminanda, non attendimus, quippe quae puriori Germaniae iuri incognita. Potius de iis dicamus, quae originis Germanici sunt et vera pacta nuptialia: *an in his curator desideretur.*

§. IV.

Dissentiant Doctores: BERGERVS in *Oecon. Iur. L. I. Tit. III. th. XI. n. 2.* adserit ad pacta nuptialia contrahenda

sufficere solum consensum feminae, non aequè necessarium esse consensum curatoris. Addit tamen: *sufficere praesentiam parentum aliorumque consanguineorum*. Sed dicere debuisset: non necessarium esse curatorem *datum*, sed *sufficere legitimum*. Quis enim ignorat, Iure Germanico feminas esse sub tutela vel *legitima* aut parentum aut agnatorum. Argumentum, quo *Bergeri* sententia posset confirmari, forsitan inde petendum, quod pacta nuptialia sint accessorium matrimonii, in matrimonio contrahendo datui curatoris consensus non requiritur, at bene teste *TACITO de Mor. Germ. Cap. XVIII.* parentum et propinquorum. Poterat hinc negare *Bergerus* et praeter eum alii, necessarium esse curatoris consensum in pactis nuptialibus.

§. V.

At ab hac sententia ob grauem Doctorum dissentium quodammodo recedit ipse *BERGERVS*, qui *c. l.* suadet, *tutius fore, si in pactis simplicibus*, sub quibus pacta nuptialia in vim contractus intelligit, *curator adhibeatur*. Sed cum sola suasio vel potius consilium sit, quod semper dari solet, quoties lex directa, ex qua decisio peri possit, non adfit, adsint tamen diuersae eruditorum sententiae argumentis haud leuibus suffultae; his enim specibus difficile est, vnam sequi sententiam, cuius contraria superfluum continet, quippe metuendum, si ad litem causa deducatur, atque sententionantes diuersa sententientes obtineat, causam facile perdi posse.

§. VI.

Contrariam sententiam uentur alii atque defendunt in contrahendis pactis nuptialibus consensum curatoris necessa-

necessarium esse. Defendit nouissime hanc sententiam *Illustr. HOMMELIUS Rhaps. Obs. XXV.* eamque videtur approbare *Illustr. Editor Bergerianae Oeconomiae c. 1.* Non transcribam argumenta, ex quibus illustris Lipsiensium Iureconsultorum ordo officium curatoris tanquam necessarium desiderauit, et omnino, si ex antiquioribus temporibus adhuc argumentum petimus, quod parentes atque propinqui, qui legitimi videbantur curatores, in contrahendis pactis nuptialibus interfuerint, quod et aduersarii concedunt, omnino haec opinio adhibitis iis argumentis, quae in sententia ab *Illustr. Hommelio* adducta grauissimum habet hyperpondium prae Bergeriana, vt, quod consilium dederat Bergerus, potius ipsa sit veritas.

§. VII.

At vero vnica mihi superest dubitatio. **CONST.** *Elect. XV. P. II.* distinguit inter *bona mobilia* et *immobilia*, interque *viduatas* personas atque *coniugatas*, atque actus *iudiciales* atque *extraiudiciales*. Si de coniugatis feminis sermo est, nullum esse potest dubium, quin adhibendus sit consensus curatoris, si forsitan durante matrimonio vxor cum marito pacta nuptialia contrahit, quippe tunc consensus mariti, qui in negotiis vxoris necessarius, et quem ipse maritus interponere nequit, supplet. At si soluta sit persona, quae pacta nuptialia contrahit, videtur distinctio ex Constitutione applicanda, vtrum de rebus immobilibus, vel de Gerada simul quid disponatur in pactis nuptialibus, an vero tantum de rebus mobilibus. Priori specie, si in pactis nuptialibus simul agatur de immobilibus vel de Gerada in maritum transferenda, iubet lex, vt curator adfit: at, si tantum de mobilibus conueniant sponsus sponsaue,
cum

VIII

cum lex ipsa permittat, vt de mobilibus feminae solutae libere disponant absque curatore, putem in his pactis nuptialibus superfluum fore curatoris consensum, imo ne quidem eundem requiri posse propter expressam legis autoritatem, contra quam ius, quod solutis feminis lege datum, adimi non debet. Quapropter putem, hac interposita distinctione vtrasque contrarias sententias commode coniungi atque dissensum tolli posse.



ULB Halle
004 800 265 3




f

TA 70L

VD
18







9220
1778, 8.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
DE
NECESSITATE CVRATORIS
IN CONTRAHENDIS PACTIS
NVPTIALIBVS

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIET. LITER. DVISVURG.
SOCIO

DIE XVI. MAII. MDCCCLXXVIII
IN AVDITORIO IVRIDICO
DEFENDET
ANTONIUS GOTTFRIED RICHTER
DELITIENS.

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMII